

## Terenzio, *Heautontimoroumenos* 1-52

### PROLOGUS

Ne quoi sit vostrum mirum quor partis seni  
poeta dederit quae sunt adulescentium,  
id primum dicam, deinde quod veni eloquar.  
Ex integra Graeca integram comoediam  
hodie sum acturus Hēauton timorumenon, 5  
duplex quae ex argumento factast simplici.  
Novam esse ostendi et quae esset. Nunc qui scripserit  
et quonia Graeca sit, ni partem maxumam  
existumarem scire vostrum, id dicerem.  
Nunc quam ob rem has partis didicerim paucis dabo. 10  
Oratorem esse voluit me, non prologum:  
vostrum iudicium fecit, me actorem dedit;  
sed hic actor tantum poterit a facundia  
quantum ille potuit cogitare commode  
qui orationem hanc scripsit quam dicturu(s) sum. 15  
Nam quod rumores distulerunt malevoli  
multas contaminasse Graecas dum facit  
paucas Latinas, factum id esse hic non negat  
neque se pigere et deinde facturum autumat.  
Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi 20  
licere facere quod illi fecerunt putat.  
Tum quod malevolu(s) vetu(s) poeta dictitat  
repente ad studium hunc se applicasse musicum,  
amicum ingenio fretum, haud natura sua,  
arbitrium vostrum, vostra existumatio 25  
valebit. Quare omnis vos oratos volo  
ne plus iniquom possit quam aequom oratio.  
Facite aequi sitis, date crescendi copiam  
novarum qui spectandi faciunt copiam

sine vitiis. Ne ille pro se dictum existumet 30  
 qui nuper fecit servo currenti in via  
 decesse populum. Quor insano serviat?  
 De illi(u)s peccatis plura dicet quom dabit  
 alias novas, nisi finem maledictis facit.  
 Adeste aequo animo, date potestatem mihi 35  
 statariam agere ut liceat per silentium,  
 ne semper servos currens, iratus senex,  
 edax parasitus, sycophanta autem impudens,  
 avarus leno assidue agendi sint seni  
 clamore summo, cum labore maxumo. 40  
 Mēa causa causam hanc iustam esse animum inducite,  
 ut aliqua pars laboris minuatur mihi.  
 Nam nunc novas qui scribunt nil parcunt seni:  
 si quae laboriosast, ad me curritur;  
 si lenis est, ad alium defertur gregem. 45  
 In hac est pura oratio. Experimini  
 in utramque partem ingenium quid possit meum.  
 [Si numquam avare pretium statui arti meae  
 et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,  
 quam maxume servire vestris commodis,] 50  
 Exemplum statuite in me, ut adolescentuli  
 vobis placere studeant potius quam sibi.

**Metro: senari giambici**